



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Maria Magdalena. 22. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

meravit. Habuit verè ad hæc hortatorem Angelum, qui & testem se rectè factorum & verò apud Superos præconem etiam fore pollicitus est. Interea, qui Divo necem parabat regio saltui præfectus, à malo genio correptus, hospitatorem WANDREGISILVM sensit. Annonam egeni monita à cælo Regina Blitildis misit. Æger acietamen dæmonum aciem vicit, & de victoriâ gratulantes Cælites audivit. Demum ne de cælo ipso dubitaret, triduo antè hoc visum est morituro patere. *Ex Surio.*

Multi de Deo sperant pecuniam; multi de Deo sperant caducos honores & perituros, aliud quilibet à Deo præter ipsam Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete. Relinque omnes amores, pulchrior est ille, qui fecit calum & terram. S. Aug. in Ps. 39.

S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulij.

MAGDALENA, quæ omnium in spem peccantium, animos erigit, utinam etiam in penitentiam erigeret. Tantum lacrymarum potuit lavacrum, cum aquas amor oculis deplueret à flammis suis calentes, cum ingeniosus è capillis lintea texeret. Ergo tot dæmonum malorum nuper hospitium, CHRISTI fit Hospita, huius sermonibus frui & amonibus digna est, ab hoc apud Simonem de audaciâ, apud sororem de otio, apud Iudam de prodigalitate accusata defendi semper meretur; apud hunc fratri defuncto vitam exorat, hunc nardi odoribus recreat, ministra per Iudæam sequitur, & in cruce sequitur; hic pedes lacrymis iterum lotos, iterum osculis siccatos tumulo condidit dolore plena, mox redivos ambit gaudiis ebria,

ebria, & lætissimi nuntii ad Apostolos nuntia. Quid? quod hunc etiam ipsa Apostoli vices functa in ipsas usque Gallias Massiliam portavit, & populos nova amoris magistra amare Crucifixum docuit. Hanc illa inter silvas maximè & loca sola veneratur, & innudo lectulo Crucis, quam illic loci Angeli de fixerant, indagabat. Audires jam saxa edocta & littora barbara **IB SVM** suspirare, **IB SVM** ingemere; cum interim sæpiculè hic ad Dilectam è cælo inviseret, illa sæpè sæpius ad Dilectum ab Angelis in aère, tandem in cælos etiam raperetur. *Ex Evang. & Silm. Prierate.*

Si nos esse peccatores novimus & esse nolumus, pedibus Christi demus lacrymas, figamus oscula, pietatis oleum totâ devotione fundamus. Imitemur Magdalenam quam conspiciamus non solum caruisse peccatis, sed ad sanctitatis verticem pervenisse. Petrus Chrysol. serm. 2. de S. Magd.

S. BRIGITTA Vid. 23. Iulij.

Vix dum septennis erat BRIGITTA, cum jam coronâ donari meruit à cæli IMPERATRICE. Hæc eadem æni pingenti in opere adesse Magistra visa est. quidni ab hæc Pallade edocta pulchrè pingeret? Eodem ferè tempore **CHRISTVM** velut tunc primùm in crucem suffixum vidit, dicentem facinus hoc eorum esse, qui suos amores negligenter, mundi sectarentur. Inde illa dolenti tam condoluit, ut quoties patientis mentio fieret, testes continuò doloris lacrymas daret, ferâ item **VI.** semper plagas animi nudaret, corpusculum ardenti cerâ perfunderet, herbas ore manderet amarissimas gustui, sed quas medicus amor condidit. Virgo nupta vitam egit tam sanctam, ut obstetrican-